



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ivlii Fatii S. J. Liber De Mortificatione Nostrarvm
Passionvm, Prauorumque affectuum**

Fazio, Giulio

Köln, 1604

Quàm neceßarium atque vtile sit Religiosis sanctum Mortificationis
exercitium. V.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60991)

pturi. Eas ergo sequenti capite propo-
nemus.

CAPVT V.

Quam necessarium atque vile sit Reli-
giosis sanctum Mortificationis
exercitium.

Quemadmodum ædificium attolli,
& ad perfectionem suam, finem-
que peruenire non potest, nisi ia-
ctis in primis & stabilitis eius funda-
mentis; ita Religiosus ad illum perfe-
ctionis spiritualis terminum, ad quem
aspirat, peruenire non potest, nisi pri-
us in se ipso fundet & stabiliat vsum
assidua & indefessa Mortificationis, tan-
quam primum lapidem omnis noui ædi-
ficii spiritualis. Vnde Cassianus pro-
ponendo modum, quo Religiosus ad
culmen huius fabricæ spiritualis per-
tingere possit, absolute ponit Mortifi-
cationem nostrorum appetituum, tan-
quam primum lapidem fundamentalem;
ita enim scribit: *Mortificatione voluntatum
extirpantur, atque marcescunt vitia vniuersa;
Expulsione vitiorum virtutes fructificantur
que succrescunt; Pullulatione virtutum, puri-
tas cordis acquiritur; Puritate cordis Apostoli-
ce charitatis perfectio possidetur.*

Et

Cass. lib.
4. Instit.
cap. 43.

Sicut

II. Sicut Salomonem, dum mulæ regiam insideret, omnis Iudæa regem agnouit, & proclamauit: Sic quisque mulam regiam carnis, sensusque proprii subigit, Rex ilicò sui que ipsius dominus euadit. Et sicut periti equitis est inhibere frenum, quando ad ima tendit; si verò in altum; laxare. Ita & nos, cum ad virtutum culmina ascendimus, potentijs nostris, quam maxime possumus, frena laxemus; tendendo autem ad ima, id est, ad mundi huius voluptates, frenum maximo inhibeamus conatu, nisi labi sæpiusque in abyssum infiniti erroris & stultitiæ præcipientes agi velimus.

III. Vt avis nouis plumis contegi non potest, nisi veteribus prius exutis, ita Religiosus veris & solidis virtutum plumis vellitur non potest, nisi prius veteres inordinatorum suorum affectuum & passionum exuat, quæ illum grauem reddunt, & ineptum perfectionis volatum. Quocirca, quem admodum accipiter renouaturus seipsum, beato Iob teste, ad Austrum alas expandit: ita religiosus radijs diuinis per orationem se se exponere debet, & mortificationis alis frequenter concutere, vt dilatato in desiderio professionis, virtute caloris diuini, atque veteribus malarum consuetudinum & affectuum inordinatorum plumis excutis, renouetur non nisi ex parte, & vellatur

Iob. 39.

DE MORTIFICAT. 41

sanctis religiosarum virtutum plumis, qui tandem ad illam cuolet perfectionem, ad quam, ut verus religiosus, aspirat.

IX.

Ut navis littori multis alligata funibus, nunquam in portum progredi poterit, quantumvis vela pandantur, remisque impellatur; ita profus homo, quantumvis in cepto virtutis itinere laboret, bonaque desideria, quasi vela quaedam explicet, nunquam tamen in via Dei progredi, aut ad perfectionis portum appellere poterit, nisi mortificatione pravorum affectuum vincula soluerit, quae ipsum terrenis rebus tenent illigatum, Quamobrem certo animi decreto, in mortificationem totis viribus quibus incumbat, consiliumque S. Hieronymi sibi datum existimet, cum, inquit, ad Paulinum: *Festina, queso te, & herentis in salo nauculae funem praescinde potius, quam solue.*

Hier. in prologo ad Paulinum.

V.

Si cuius religioso necessaria est illa mentis illustratio, & gustus spiritualis, qui virtute orationis acquiritur, eidem procul dubio necessaria erit mortificatio passionum & affectuum suorum. Etenim ut aere nebula obscurato, sol aspectum nostrum fugit; neque quenquam vitali radiorum calore recreat, ita tranquillitate animae nostre passionum nebulis obtenebrata, neque virtute Orationis, ad verum solem, Deum & De-

& Dominum nostrum, homo sese leuaret, neque vigorem & calorem benedictionis & gratiæ diuinæ perceperit. Quod si Plutarchus, Aristoteles alique philosophi negant, vllum hominem sapientiam humanam adipisci posse, nisi prius passiones animæ suæ pacauerit atque domauerit, quomodo fieri potest, vt Religiosus aptus sit adquirendæ diuinæ sapientiae, quæ in vera cognitione & amore Dei consistit, nisi firmiter statuerit vsu continuæ mortificationis animum ab omnibus prauis appetitionibus expurgatum esse.

VII. Si ad acquirendas virtutes mortificationis requiritur & præsupponitur necessaria moderatio nostrorum passionum, vult S. Thomas, cum ait: *Virtu præparari passiones sedatas*; sequitur necessarium hominem, ad acquisitionem virtutum Christianarum & religiosarum peruenire non posse, nisi prius passiones suas probè compresserit. Imò quanto maior aut minor erit mortificationis vsus, tanto maior aut minor erit in virtutibus progressus. Qua enim ratione fieri non potest, vt cum vitio incontinentiæ sit virtus ipsa continentiae, aut cum excessu iræ, virtus mansuetudinis, eadem fieri nequit, vt hæc similesque virtutes in ani-

ta locum habeant, nisi prius ab ea vitio-
rum & passionum contrariarum excessus
inferatur.

D. Augustini sententia est, *ibi pacem esse
non posse, ubi non est subiectio repugnantium.*
Quia verò ea quæ rebellant in regno a-
nimæ nostræ, quæque imperij & obse-
quij detractione, sæpè belli & conten-
tionis materiam præbent, nihil aliud
esse possunt, quàm ipsæ nostræ concupi-
scentiæ & affectus inordinati; teste S. Ia-
cobo, dum ait: *Vnde bella & lites in vo-
stris nonne ex concupiscentijs vestris, quæ mili-
tant in membris vestris?* Oportet, ut qui ve-
tam pacem, animique trāquillitatem asse-
qui cupit, repugnantiam hanc rebellium
suarum appetitionum vincat, easque im-
perio rationis subijciat

Ut oliua, licet natura sua sit acris &
amara, qualis videlicet in arbore creuit,
si tamen vel exiguo condimento asper-
gatur & condiatur, dulcis & grata fit
gustui: Sic homo ob sensus rebelles,
peccati que fomitem, quem secum, tan-
quam parentum suorum hæreditatem,
circumfert, ex seipso adèò amarus &
ingratus est, ut nisi Mortificationis sale
condiatur, & naturalem hanc suam a-
maritudinem temperet, coëcendo nimi-
um sensuum vigorem, & sensualitatis
exces-

VII.

S. Augu.
lib. de ci-
uit. Dei.

Iacob. 4

VIII.

excessum, nunquam dulcis, iucundusque gustus Domini erit.

IX.

Vt vitis, naturali quodam instinctu, ramis suis & pampinis se huc illucque diffundit, & se quibusdam quasi filis, ubicunque potest, alligat; ita homo, post lapsum Adami, à natura sua quandam habet inclinationem ad diffusionem sui, opera & ministerio sensuum & cupiditatum, ad diffusionem, inquam, in infinitos pampinos inutilium verborum, operum, vanorum desideriorum, & cogitationum, atque his se quasi filis, minima etiam data occasione, alligat. Quemadmodum igitur vinitoris munus est, compescere vitem, purare pampinos nimium luxuriantes, quò certis illa terminis circumscripta fructus uberiores ferat; ita planè Religioso necessarium est, ut se prauæ suæ inclinationi opponat, & falce Mortificationis omnem superfluitatem inutilium desideriorum, & vanarum appetitionum detruncet, & amputet, quò rectè rationis limitibus, suisque instituti norma circumscriptus, maiori vigore in acquirendis solidis virtutibus, proximorumque salute curanda progressum faciat.

X.

*Cassian.
collat. 19.
cap. 8.
Galat. 5.*

Si finis Cœnobitæ, ut apud Cassianum vult Ioannes Abbas, consistit in mortificatione & crucifixione omnium appetituum; necesse erit, ut serio huic sanctæ mortificationis

DE MORTIFICAT. 49

nois exercitationi se tradat, concupi-
 scias suas & appetitus crucifigat, si, ut
 Religiosum decet, vivere & ex Chri-
 sti discipulorum numero esse velit, de qui-
 bus Apostolus dicit: *Qui Christi sunt, carnem
 suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscen-
 tiis.* Quemadmodum igitur infirmus, non
 adeo sentit dolorem vulneris, aut scissio-
 nis, si partem carnis seindēdam industrius
 chirurgus prius varijs modis mortifica-
 verit, sic qui passionum, voluntatum, sen-
 suumque suorum superfluum viuitate
 prius sancto mortificationis exercitio do-
 muerit, persecutionum postea incisiones,
 aduersitates, & cruces, quas amore Domi-
 ni sui sepe in hac vita sustinere debet, nō
 admodum difficulter tolerabit: imō verō
 tanquam mundo & amori proprio mor-
 tuus, Christo crucifixo, ut summę perfe-
 ctissimęque mortificationis speculo vni-
 co, & vero exemplari simillimus erit.

XI.

Quemadmodum cholericus aut phleg-
 maticus quis dicitur, quia in ipso chole-
 re & phlegmatis prædominatur humor,
 ita spiritualis & rationalis dici poterit is,
 in quo spiritus & ratio prædominatur; &
 carnalis aut sensualis, in quo dominatur
 caro & sensus. Quoniam verō spiritus &
 rationis dominium in carnem ac sensum,
 à mortificatione maxima ex parte depen-
 det,

det, huic secundum gratiam diuinam merito adscribitur, cum quis spiritualis fit, & rationalis. Ut igitur inter inferiores titulos, qui homini in hac vita tribui possunt, non minimus est, & liquem esse virtute præditum, spiritalem, rationalem, &c. Ita Mortificationis usus & exercitatio tanquam singulare instrumentum tanti boni, maximi sancti facti debet.

CAPVT VI.

Considerationes quædam magis particulariæ circa potentiarum animæ nostræ, passionis amoris proprii, & sensuum corporis mortificationem.

Consideratio prima, circa mortificationem intellectus.

Considera tria potissimū vitia intellectus mortificanda & emendanda esse, nisi in mille errores præcipitari velis. Primum vitium est curiositatis, quando nimirum intellectus tuus indagat ea, quæ vel ipsius captum excedunt, vel quæ maiores, aut proximos tuos concernunt, vel certè, quæ scire tua nihil interest, quæ sine perturbationis & erroris periculo nunquam inuestigaueris. Secunda